

Correspondance des Cardinaux avec la maison des Radziwill de 1548 à 1729.

La Bibliothèque Impériale publique de Saint Pétersbourg possède dans ses riches archives d'autographes un codex très précieux pour l'histoire religieuse en *Pologne*. Ce recueil, num. 226 dans le catalogue des manuscrits autographes, appartenait autrefois à la maison des Radziwill. En tête du volume on lit encore ces mots: *Ex Bibliotheca Radivilliana Ducali Niesvisiensi Loc. VIII. 3.*

Ce recueil renferme la correspondance des Cardinaux, appartenant pour la plupart à la Curie romaine, avec différents membres de la famille des *Radziwill* entre les années 1548 et 1729. A savoir:

1 lettre du	Cardinal Bathoreus (1599)	fol. 1
53 lettres du	» Paulucci (1690-1723)	fol. 2-72
7 lettres du	» Albani (1712-1721)	fol. 59-157-162
4 lettres du	» Bellarmin (1599-1606)	fol. 73-77
1 lettre du	» Spinola (1589)	fol. 78
5 lettres du	» Gualterio (1720-1724)	fol. 79-84
5 lettres du	» Caetano (1589-1599)	fol. 85-90
4 lettres du	» Baronius (1601-1606)	fol. 91-94
1 lettre du	» Cornaro (?)	fol. 95
9 lettres du	» Barberini (1643-1703)	fol. 96-104
3 lettres du	» Comensis (1572-1597)	fol. 105-107
8 lettres du	» S. Severinae (1589-1601)	fol. 108-115
2 lettres du	» Lancellottus (1597)	fol. 116-117
2 lettres du	» Odescalchi (1712-1713)	fol. 118-120
1 lettre du	» Augustanus (1547)	fol. 121-122
1 lettre du	» Acquaviva (1599)	fol. 123
2 lettres du	» Borromeo (1589)	fol. 124-125
3 lettres du	» Varmiensis (1568-1577)	fol. 126-131-389
2 lettres du	» Salviati (1589-1596)	fol. 132-133
5 lettres du	» Matteo (1597-1601)	fol. 134-138

2 lettres du	Cardinal Aldobrandini (1589-1599)	fol. 139-140
2 lettres du	» Carafa (1589)	fol. 141-142
2 lettres du	» S. Sixti (1577-1585)	fol. 143-144
4 lettres du	» Bolognetti (1584-1585)	fol. 145-150
4 lettres du	» di Mondovi (1589-1590)	fol. 151-154
2 lettres du	» Deza (1585-1599)	fol. 155-156
1 lettre du	» Senonensis (?)	fol. 91
85 lettres du	» Radzieiowski (1687-1705)	fol. 171-338
2 lettres du	» Ursino (1654)	fol. 340
2 lettres du	» Pamphili (1699-1722)	fol. 341-342
1 lettre du	» Galenis (1722)	fol. 343
1 lettre du	» Pozzadon (1709)	fol. 344
1 lettre du	» dal Monte (1599)	fol. 345
2 lettres du	» Farnese (1596-1599)	fol. 346-347
1 lettre du	» Curnifius (1578)	fol. 348
1 lettre du	» Carfarnerius (1601)	fol. 349
5 lettres du	» Piretti di Montalto (1589-99)	fol. 350-353-377
1 lettre du	» de Saint-Clément (1723)	fol. 354
3 lettres du	» Scipion Tad... (?)	fol. 355
1 lettre du	» di Firenze (1599)	fol. 356
1 lettre du	» (1678)	fol. 357
1 lettre du	» Spada (1678)	fol. 358
1 lettre du	» Respigliosi (1668)	fol. 359
1 lettre du	» Marefosco (1699)	fol. 360
1 lettre du	» SS. O-to (1596)	fol. 361
3 lettres du	» di S. Georgio (1595-1598)	fol. 362-366-367
1 lettre du	» di Como (1579)	fol. 364
1 lettre du	» Giustiniani (1607)	fol. 365
1 lettre du	» (1593)	fol. 366
2 lettres du	» T . . . (1598)	fol. 366-369
3 lettres du	» Quatteo (1599)	fol. 370-381 sv.
1 lettre du	» (1643)	fol. 371
2 lettres du	» Rusticucci (1589-1607)	fol. 372
1 lettre du	» di Luccoria (1707)	fol. 374
1 lettre du	» Rocci (1680)	fol. 375
1 lettre du	» S. Pauli (1589)	fol. 376
2 lettres du	» Cybo (1679)	fol. 378-379
1 lettre du	» (1585)	fol. 380
1 lettre du	» di Verona (?)	fol. 383
1 lettre du	» S. Asmola (1722)	fol. 383

3 lettres du Cardinal Alessandro (1567-1597)	fol. 385-386
1 lettre du » Santa Cruce (1654)	fol. 390
2 lettres du » Al . . . (1672)	fol. 391 sv.
1 lettre du » Ottoboni (1703)	fol. 393
1 lettre du » (1727)	fol. 394

Ici, nous publierons seulement quelques documents qui pourront servir à l'histoire de la *conversion des Radziwill*.

A la mort du duc Nicolas dit « le Noir », ses quatre fils Nicolas-Christophe, Georges, Albert et Stanislas passèrent du calvinisme à la religion catholique, fait auquel contribua beaucoup le célèbre Skarga. A cette occasion le Cardinal *Alessandro* écrit au duc d'*Olyca* la lettre suivante:

Ill.me Dux ¹⁾)

Gratissima fuit salus, quam Serenissimi Regis vestri procurator mihi tuo nomine nuntiavit, gratior etiam significatio catholicae fidei, ac vitae tuae, et ipsius procuratoris, et aliorum sermone celebrata, quibus tanquam coelestibus muneribus ad verae pietatis laudem, et ad spem salutis certissimam adventum tuum in patriam commendare voluisti. Benedictus Deus qui convertit corda patrum in filios, et intermissam interdum in familiis maiorum gloriam pro sua admirabili benignitate multiplicatam excitat in nepotibus et posteris. Praeclara haec de te fama cum me internuntio ad S^{mi} D. N. aures pervenisset, vehementer eius S^{tas} in Domino laetata, talem te, qualem a me audivit, paternae charitatis affectu complexa est, et absentem sacrae benedictionis felicissimo munere prosecuta, et quidem repente peragravit Romanam Civitatem catholicae Religionis tuae laus, fuit in ore et amore Patrum Amplissimorum, magis etiam ex niro ordine, prestantis eius viri praedicatione, qui te antea cognitum magna christiane pietatis spe atque expectatione commendavit. Gratulor igitur tibi, clarissime Juvenis, et ista a te inita sempiternae salutis via, et hac famae celebritate qua Romae in dies notior es et illustrior. Et quoniam meus iam in te ita viventem amor me cogit, hortabor te, ut in istis itineribus pergas ire quo coepisti, tibi que ac generi tuo immortalem beatudinem et gloriam comparare. Te enim maiores illi vestri, qui acceptam a Sanctiss^a parente Romana Ecclesia doctrinae vitaeque rationem salutariter tot seculis magnificeque coluerunt, retinentem hoc catholicae fidei decus, vere sui generis et seminis existimabunt. Reliquos autem, qui eos perdita ista opinionum novitate, vel sceleris, vel stultitiae quantum in se fuit, condemnarunt tanquam alienos, et hostes jure execrantur. Illi, quam fidem Magistra Romana ecclesia et animo constanter conceperunt et ore professi sunt, pro ea libentissime et opes suas et vitam porfuderunt. Quamobrem clari in aeterna gloria vivunt. Isti sexcentis inter se repugnantibus heresibus, in errorem fraudemque inducti precipites aguntur a nescio quibus hominum monstribus: et quod non solum Principe et christiano, sed omnino homine est indignissimum, a doctoribus impietatis ac licentiae ratione orbantur ac sensibus. Felicem te, qui in haereditate Domini moraris, quam pestifera possessione pollui non sinis, sed quoniam percrebescente hac, ut spero magisque de te opinione non semel mihi tui laudandi tibi que de prestanti tua virtute gratulandi facultas dabitur, in

¹ Folio 385 r.

praesentia finem faciam, si tantum dixero, eo in te et S^{mi} D. N. propensorem charitatem et amplissimi cuiusque ardentius studium, et meam operam ac diligentiam, quam tibi Ill^{me} Juvenis defero ex animo, paratorem fore, quo tua catholicae veritatis defensio et S^{tae} Romanæ sedis obedientia clarior fuerit. Deum precor, ut uberiori et te in dies suae gratiae dono et nos de te laetitia augere velit.

Vale. Romae, XIII Cal. Maij MDLXVII.

Addictus

Car^{lis} Ales^s

Duci Olicae.

Le 5 novembre 1568, le grand *Hosius*, évêque d'Ermeland, écrit au jeune duc *Nicolas Christophe* une lettre vraiment apostolique où, tout en le félicitant, il le conjure de renoncer à son entourage hérétique, car, en demeurant au milieu de scorpions, il est difficile de ne pas souffrir leurs morsures. Il lui faut pratiquer ouvertement la foi de *Seidlonico*.

Ill^{me} Domine.¹⁾

Multorum sermonibus ad nos perfertur, te cum pravis erroribus puer imbutus fuisses, quandoquidem inter eos a teneris educatus es qui se praeciderunt ab orbe terrarum et ab Ecclesiae totius unitate, tandem Dei misericordiam esse consequutum, ut fidelis esses et in eum Christum crederes, extra quem alius nullus est, in quem sancti maiores nostri firmiter credentes salvi facti sunt, ut iam deinceps nihil eorum persuasionibus apud te loci sit, qui dicunt: ecce hic est Christus, ecce illic, ecce in penetralibus, ecce in deserto, nec eum deinceps vel Wittembergae²⁾ quaerendum esse putes, vel Argentinae, vel Genevae, vel in aliis quibuscumque desertis; sed illud in animo tuo fixum habeas, quod non alibi quam in corpore suo, quae est Ecclesia, Christus reperiri possit, cuius nomine censi quidem cupimus omnes, verum qui se diviserunt ab eius corpore, quidvis aliud se potius quam Christianos esse non obscure profitentur. Ego vero sicut immensam Dei bonitatem, qui tibi mentem hanc inspiravit, satis praedicare non possum, sic nec hoc puto faciendum, ut ea te quoque laude fraudem, quae tibi debetur, qui te tam obsequentem inspirationi Divinae praestiteris. Nam quod ad ipsum Deum attinet, certum est quod is omnes homines fieri salvos et ad agnitionem veritatis pervenire velit. Quamobrem pulsat ille quidem saepe, cupit in mentes hominum illabi, ut quae sunt ad salutem eis inspiret. Verum interea multos invenire licet, qui pulsanti non aperiunt neque dubitant cum impiis illis dicere: recede a nobis, viam scientiarum tuarum nolumus. Quales mihi quoque proxima superiore Quadragesima nonnullos experiri licuit. Quod itaque tu viam scientiarum Dei receperis, quod pulsanti aperueris, quod eum ad te venientem recedere non iusseris, praeclara est laus tua; nec est quod dubites, quin hanc tuam in obediendo Dei voci tantam alacritatem Deus remuneraturus et quae tantae virtuti reposita est corona, sit eam in illo die iustus iudex tibi redditurus. Tu modo memineris eius quod scriptum est; non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem salvus erit. Quanquam (nolo enim dissimulanter tecum agere) simul et hoc renunciatur, quod nondum satis aperte

1) Folio 126.r.

2) Ms.: *Wittembergae*.

confiteri Christum audeas; quae res quamvis nonnullam animo meo perturbationem attulit, ut minus plene gratulari tibi posse viderer; non ita me tamen dejicit, quin bona spe sim, qui tibi dedit hanc gratiam ut ad agnitionem veritatis pervenires, eum quod operari coepit in te, confirmaturum et perfecturum, ut magna cum fiducia Christum deinceps aperte confitearis, et per quem seductus paulo ante fuisti, palam Antichristo nuncium remittas; quod ut facias etiam atque etiam te hortor et moneo, et per viscera misericordiae Dei quæso atque obtestor. Difficile est habitare cum scorpionibus, et morsibus eorū non offendi; sed si totam spem et fiduciam tuam in eo, qui pater est misericordiarum et Deus totius consolationis, defixam habueris, sicut misericordiam consequutus es ut fidelis esses, sic et hanc misericordiam consequeris, ut fidem in Christum tuam aperte confiteri ne dubites. Nec ea te res ab instituto deterreat, ne forte Papistae nomen ab his qui segregaverunt semetipsos, tibi tribuatur, quum¹⁾ tu non solum Papistam, verum et Registam esse, te clara voce, ut exaudiri possis ab omnibus pronuncies, nec ad existimationem tuam magis amplum et illustre quicque accidere tibi posse persuasum habeas, quam si te nominibus his audiveris appellari, quibus testimonium tibi datur, quod eam quam debes fidem et subjectionem a Deo constitutae potestati praestas, sive sit ea Ecclesiastica sive Civilis, quam nunc secularem vocant. Cur autem eius te potestatis pudeat, quam sicut et Imperator et alii Catholici Reges atque Principes, sic ipsa quoque Regia Altas. communis Dominus noster libenter et reverenter agnoscit. Quale per Deum immortalem est hoc Evangelium, per quod virtus probro datur, et probrum laudi ducitur? Scilicet si quis fidelem se subditum ex hibeata Deo constitutae potestati probrum id est? Num criminis fidei, virtutis vero nomen perfidiae tribuemus? Paulo ante mortem suam edidit Philippus Melancthon librum quendam, in quo multa quaestus de novis quibusdam Papis in Germania nuper exortis, proeclarum hoc evangelium suum iam anarchiam quandam evasisse queritur. An autem anarchiā hanc meditati non sunt, primum Rustici servili bello contra suos dominos concitato, deinde Principes sumptis armis contra pientissimum Imperatorem Carolum, puri Verbi Dei fortissimum propugnatores? Quid in Galliis semel et iterum? Quid in Scotia, quid in Germania inferiore nuper adeo factum sit, proculdubio non ignoras. Utinam autem eius rei domestica quoque exempla proferre nulla liceret. Sed proh dolor, etiam apud nos proximis superioribus diebus directi feruntur, qui sicut ignominiosum antea sibi fore putaverunt si Papistae dicerentur, sic et hoc ad infamiam suam pertinere persuasum habuerunt, si Registae vocarentur, et quemadmodum Pontificis antea, sic et Regis iugum deinceps excutere sunt conati. Hi sunt fructus Quinti huius Evangelii. Sed nec eorum sermonibus moveare, qui cum ab orbis terrarum unitate sacrilega quadam divisione se praeciderint, dum socium te suae praecisionis habere cupiunt, subinde vociferantur Evangelium, Verbum Dei, doctrinaeque Christi veritatem in deserto potius quam in Civitate supra montem posita, quae est Ecclesia Dei, tibi querendam esse persuadere conantur: quum illud pectori tuo perpetuo sit infixum, quod ab illo S^{to} Patre scriptum est: In Cathedra unitatis posuit Deus doctrinam veritatis. Ubi discessum est ab hac unitatis Cathedra, quot ibi sectae, quam horrendae, quam portentosae, quam etiam inter se mirandum et miserandum in modum dissectae prognatae sint, cum per Germaniam iter faceres, et in ea commoratus esses aliquandiu, vi-

1) Ms.: *Quum*.

disti proculdubio. Quum et illud animadvertisti, quomodo se mutuis ipsae cœdibus haud aliter atque Cadmei quondam fratres conficiunt, quum et haereseos invicem condemnant, nec ullam veriolem vocem proferunt unquam quam cum alter alterū hæreticū pronunciant. Primus hoc infelici nostro seculo sacrilegae separationis ab Ecclesia Dei fuit author Martinus Lutherus, qui postquam eam rem perduxit, ut quod ipse diceret aut scriberet id purum Evangelium et expressum Dei verbum a multis esse crederetur, an ejus vestigiis insistentes alii non perfecterunt paulo post, ut ipsorum potius doctrina purum Dei verbum a multo pluribus esse putaretur, cum tamen a Lutheri placitis in gravissimis religionis nostrae capitibus longe dissiderent. Sic iam quot hæreticos, tot Deos; quot haeticorum dogmata, tot Evangelia, tot videre licet in Germania Dei verba, ut spiritu quodam divino prædixisse videantur quidam ex sanctis patribus: necesse est ut minutatim secti confessique depereant, qui tumorem animositatis suae Catholicae pacis sanctissimo vinculo praetulerunt. Quorsum autem ad extremum res reciderit quis est qui siccis oculis commemorare queat? Sive nunc in Polonia sive degas in Lithuania, quae probra, quae maledicta, quas blasphemias et in adorandam Trinitatem et in venerandam unitatem, et in essentiam divinam eiaculari non audis? Horret animus dicere, sed necessario dicendum tamen est. Audis et illud quamlibet invitus, quod iam aperte Christus ab æterno Deus esse negatur, quum et illud fortasse non ignoras. in dubium nunc revocari, quod etiam apud ethnicos facere capitale fuit, num sit Deus, qui rerum humanarū aliqua cura tangatur. Ausus est quæstionem hanc tractare Bernardus Ochynus unus omnium impurissimus hæreticus, qui simul et inimicum et defensorem agit, qui plurimis etiam blasphemias scatentes de S. Trinitate dialogos cœdidit, quos Patri tuo dicere veritus non est. Nihil est facilius quam incium discessionis facere, contra finem illius invenire longe difficillimum est. Qui falso superstitionis Ecclesiam arguebant, ii nunc et Mahometismum et Atheismum profiteri videntur. Adeo verum est quod ab Hilario scriptum aliquando legimus: Cum secundum unum Deum, et unum Dominum, et unum baptisma fides etiam una sit, excidimus ab ea fide qua sola est, et dum plures fiunt ad id cœperunt esse ne ulla sit? Fides non est nisi una. Quicquid est extra unam fidem hanc, non fides sed perfidia est. Cane peius et angue perfidiam hanc odisse debes, et eam remis, quod aiunt, velisque fugere. Fidem autem eam sectare, quae habitavit in anima tua Sidlonicia, qua foemina vix ullam vidit ætas haec nostra sanctiorem et religiosiore, quam eandem fidem et avi et proavi tui paterni simul et materni, quam et abavi et atavi magna cum laude et constancia ad extremum usque vitae suae spiritum professi sunt, qui præclaræ pietatis erga Deum suum tam in Polonia quam in Lithuania illustria multa monumenta reliquerunt. Cui rei documento etiam esse potest avitum opidum illud tuum Szidlowiecz in eo quod tu divinum cultum, qui iam annis aliquot fuerat abolitus, restaurandum curasti, magnam ex ea re tum apud homines laudem tum apud Deum gratiam es consequutus. Bona spe sum, quod nobis maius in dies tuae pietatis erga Deum specimen sis daturus. Cæterum incidi nuper in libellum¹⁾ quendam e Germana in latinam linguam conversum, quem tibi nuncupatum fuisse dolenter admodum tuli, quod hoc ad infamiam nominis tui pertinere persuasum habeo. Sed interea tamen hanc de te spem concipio quod minime tibi probatus fuerit, et quod ab eius lectione abstineris potius quam

1) Contra Sacram Tridentinam Sinodum conscriptus est per Loguloium quendam.

ut in eo volvendo bonas horas male collocares, cum non aliunde fere constet, quam ex falsis quibusdam calumniis, probris, conviciis, maledictis, nec esse possit eo quidque virulentius. Quin et hoc quae tua pietas est facturum te confido, ut non ipse modo ab eius lectione tibi temperes, verum et alios ab eius vel inspectione deterreas, et rationes omnes investiges, quibus is minus multorum manibus teri... Quod ut facias, et ut in dies te magis Christianum, Catholicum, et orthodoxum declares, pro paterna mea erga te sollicitudine te diligenter hortor et moneo. Deum etiam precor ut hanc tibi mentem inspiret, quo sicut antea fuit sensus tuus errare a Deo: sic nunc decies tantum iterum convertens requiras eum, ut adducat tibi Deus sempiternam iucunditatem cum salute longa. De me vero ea tibi polliceberis omnia, quae de homine tui studiosissimo, qui nihil ardentioribus votis expeto, quam salutem et incolumitatem tuam, non hanc modo diurnam potius quam diurnam; verum etiam illam sempiternam et perpetuo duraturam, nec ullum unquam finem habituram. Bene vale!

Datum ex Castro meo Heilspergae

5 novembris A^o Domini MDLXVIII^o

Tui amantissimus
A. Card. Varmien.

IIIⁱ Domino Nicolao Christophero Radziwilo
Duci in Olika et Nieswiez, amico Obser^{do}.

Dans une seconde lettre, datée de Rome, le Cardinal se plaint de n'avoir pas eu de réponse à la première (surtout au sujet d'un livre hérétique qu'il a demandé au duc de faire détruire); il lui recommande le Père Stanislas *Warschavicius*, ancien converti d'un grand zèle.

III^{is} et M^e Domine¹).

Cum essem in Diocœsi mea Varmien. belli sæpe rumores ad me perferebantur de tuo ad Christi corpus Ecclesiam, a qua segregatus aliquandiu fuisse videbaris, reditu, quodque nuncium remiseras omnibus erroribus, in quibus puer cum esses adhuc annos aliquot versabar, et in agnita veritate magna cum laude constanter perseveras. Qua quidem ex re maiorem quam credi queat animo voluptatem accepi, neque me tenere potui quin tibi de tanta Dei misericordia, qua factum est, ut de tenebris erutus in hoc admirabile lumen sis perductus, litteris meis gratularer; ad quas quod hactenus responsum accepi nullum, quamvis potius aliam ei rei causam subesse puto quam ut quae nunciabantur de te ad Christum et eius corpus Ecclesiam reverso minus esse vera persuasum habeam: sed cum instaret Comiciorum tempus, in quibus uterque praesentis alterius potestatem habiturum, se sperabat, in id usque tempus te rejicere voluisse reponsum hoc tuum existimabam, ut coram potius his de rebus, de quibus ad te scripseram, quam per litteras mecum ageres; nunc autem hac spe mea frustratus, non propterea mihi quiescendum esse putavi. Facit enim amor in te meus, quo praeclaram hanc tuam indolem prosequor, ut non possim te tua salute non esse vehementer sollicitus. Accidit autem peropportune ut proficisceretur isthuc R^{dius} hic Pater Stanislaus Warschavicius, qui cum adolescentulus eadem fuisset oppressus erroris caligine qua tu, similiter Dei misericordiam consequutus ut

1) Folio 130.r.

isti reprimi possint, nec alius in Regno et adiunctis illi provinciis, quam Christus in Bethlehem natus Deus colatur. Sic futurum est ut et in hoc seculo diuturnam Deus felicitatem tribuat et ea largiatur in futuro, quae nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, hoc sibi certo persuadere debet, quod nullum Deo sacrificium offerre potest gratius quodque magis illi pertinere queat ad promerendam Dei gratiam, quam si Christianam fidem forti et virili animo contra Christi crucis hostes tuendam et propagandam susceperit. Quo suspensius opto D. Vrae diu bene feliciterque valere.

Dat. ex Montecompatrum 6 octobris A^o Dni 1571.

Duis Vrae

Amicus

A. Card. Varmien.

Illⁱ D^{no} Nicolao Christophero Radziwilo
Ducatus Lithuaniae Marschalco.

Au nom d'Innocent XI, le Cardinal *Montalto* écrit la lettre suivante, datée du 18 avril 1587:

Ill^{me} Domine.¹⁾

Ex litteris Ill^{mae} D. Vrae 19 Januarii datis, quae nuper redditae S^{mo} D^{no} nostro sunt, duplici laetitia S^{tas} sua est affecta; et quod studio, cura, monitis Ill^{mae} D. Vrae permota ipsius Coniux, et adjuta praeterea caelestis gratiae ope, relictis pravissimarum opinionum erroribus, quibus imbuta a parvula innutritaque fuerat, ad Catholicae Ecclesiae et verae pietatis cultum redierit; et quod hunc reditum eius atque hoc Ill^{mae} D. V. in illa reducenda studium tam insigni clementiae suae munere compensaverit Deus, filioloque auxerit Ill^{mam} D. V. scilicet tam sanctum coniugium optato fructu diu carere divina benignitas passa non est. Utrumque S^{tas} sua iussit me suis verbis Ill^{mae} D. V. conjugique eius gratulari; quibus et suam benedictionem paterno animi affectu impartitur; et Deum orat ut suscipiendis atque in Christianae pietatis et Catholicae disciplinae praeceptis educandis liberis diu utrumque in sanctae charitatis coniunctione conservet ac tuatur. Ego Ill^{mae} D. Vrae operam atque observantiam meam deferens, omnia a Deo secunda et prospera precor.

Romae 18 Aprilis 1587.

Ill^{mae} D. Vrae

deditissimus

A. Card. Montalto.

Ill^{mo} D^{no} Nicolao Christophero Radziwillo.

Quelle part le duc *Nicolas Christophe* eut-il dans la tentative d'union des Eglises Ruthène et Romaine, qui eut lieu en 1595, et dont parle le Cardinal de *Saint Séverin* dans sa lettre datée de Rome le 9 décembre 1595? Il en eut une certainement, puisque le Cardinal dit que la piété des évêques ruthènes à Rome l'a grandement édifié, et qu'il leur a voué plus d'affection à cause de lui.

1) Folio 132.r.

tu; quin (quod bona cum tua venia dictum sit) magis etiam quam tu non solum oblatam ad Deo sibi veritatis lucem ardentem admodum est amplexus, verum etiam illud vitae genus ingressus est, in quo posteaquam valedixit mundo et omnibus eius pompis, ad praedicandum Evangelium Dei magis idoneus esse posset. Per hunc igitur quin aliquid litterarum iterum ad te darem facere non potui. Nihil autem est quod in scribendo longior esse velim. Erit is tibi litterarum vice, neque doctrina magis quam exemplo suo quemadmodum in domo Dei versari debeas te instruet. Hunc igitur diligenter tibi commendo, atque ut semper aditum ad te illi patere velis, deque doctrina religionis nostrae tecum conferentem benigne audias maiorem in modum abs te peto; nec enim fieri poterit, si crebros cum eo sermones habueris, quin magnam ex his utilitatem capias, et animae tuae saluti recte perspicias. Quod superest, Deum precor ut te diu servet incolumem et foelicem.

Dat. Romae ult. Martij A° D. 1570.

Amicus

A. Card. Varmien.

Illi Dno Nicolao Christophero Radzivilo
Palatinae Vilnesi Amico Observan.

Le 6 octobre 1571, le cardinal *Hosius* écrit encore au duc *Nicolas Christophe*:

Illis Domine.¹⁾

Litterae D^{nis} Vrae tanto mihi gratiores acciderunt, quanto plura fuerunt huc anno superiore perlata de singulari in fide Christiana tuenda constantia et fortitudine, quam in proximis superioribus comitiis declaravisti, cum quidam Christi perduelles ut proscriberetur ex bona regni parte Christus et eius loco vel Islebien. vel Geneven. coleretur Antichristus magno studio contendissent. Ac si verum est quod apud nos renuntiabatur, nisi Deus oculis misericordiae suae Regnum istud aspexisset, et qui fuit antesignanus eius fabulae eum e medio sustulisset, voti sui compotes facti fuissent. Equidem cum haec audissem, singulari quodam D. Vrae amore exarsi, et sublatis in caelum manibus Deo gratias egi, qui mentem hanc tam piam et animum tam fortem D. Vrae inspiravit, quem etiam nunc supplex precor, ut confirmet hoc quod operatus est in illa. Maiora nunc instant, ut audio, pro fide Christi certamina; nihil enim curae, laboris, diligentiae Christi perduelles praetermittere dicunt, quo possint Beganam perfidiam, quae vulgari lingua recte dici potest Byesowa wyarka, longe lateque propagare. Iam etiam Byesowi templum exaedificasse feruntur, in ea civitate quae regni caput est, in qua primum ego lucem hanc aspexi. Qua ex re quantum dolorem capiam, nullis verbis exprimere satis possum. Ac stupeo cum nullam esse potestatem in Regno video, quae possit aut velit potius Christi perduellium tam effrenatam audaciam istam coercere. Non satis habent quod ex haereditariis suis bonis Christum proscripserunt et eius fidem abnegarunt, idem etiam facere conantur in Regia civitate, quae totius regni caput est. Ego vero vehementer metuo si qui cum imperio potestateque versantur, parum se fortes in Christi causa tuenda praestiterint et eam pro derelicta habuerint, ne derelictus ab illis Deus vicissim illos derelinquat et gravioribus quam unquam antea plagis Regnum afficiat universum. Quamobrem quantum suam D° Vra regnique salutem conservatam cupit, tantum contendat et elaboret, ut sacrilegi conatus

1) Folio 131 r.

Illustriss^e et Excellentiss^e Dnē.¹⁾

Gratissimus omnibus mihi in primis fuit in Urbem adventus Reverendissimi Patrum Dnorum Episcoporum scilicet Wladicaru, Wladiminin et Luceosien. ut se suosque coepiscopos, Metropolitam totamque Graecorum nationem quae in Russia moratur cum hac Sancta et Aplica Sede in unitate verae atque catholicae fidei, veteribus reiectis atque detestatis erroribus atque schismatibus, coniungeret. Quod ut spero prope diem conficietur. Tanta est in his R^{dis} Patribus pietas, ut Deo optimo maximo imprimis auctore quidvis boni ab ipsis sperandum sit. Res omnino est ex qua boni omnes summam capere laetitiam debent, et ex qua meliores in dies atque uberiores exspectandi sint fructus. Ego vero quoad potero iuvabo praesantissimos hos viros, qui mihi etiam carissimi erunt Excellentiae Vrae causa, cui me et cupere et velle omnia felicissima pro certo habeat, et dum me ei plurimum commendo, Deum optimum maximum precor ut illa incolumem serviat.

Roma, die IX Decembris MDXCV.

Excellentiae Vrae

Studiosus S^{tor} Jul. Ant. Card. S. Severinae.

Terminons par le Cardinal *Bellarmin*. Il écrit au Cardinal Radziwill, protecteur de la C.^{ie} de Jésus:

Ill^{me} et Rever^{me} Dnē observantissime.²⁾

Quam ab annis supra viginti de Ill^{mae} Amplitudinis Vestrae pietate erga communem parentem nram Catholicam Ecclesiam et singulari erga me servulum suum amore opinionem concepi, eam nunc epistola Dignationis Vrae mirifice confirmavit. Nam quod Amplitudo Vra gratulatur Ecclesiae Catholicae, sacro Collegio et Societati Iesu de nova Cardinalium promotione: id facit erga Catholicam Ecclesiam ut amantissimus filius, sacrum Collegium ut praeclarum illius membrum, Societatem Iesu, ut insignis eius patronus In eo solum pace Vestra dixerim: fallitur, quod personam meam dignam gratulationis materiam arbitratur. Sed amor iste amoris erga me vestri argumentum non dubium est. Quia vero exploratum apud me erat, Ill^{mam} Dnē Vram ob antiquam servitutem meam praeter ceteros de hac promotione laetitiam percepturam fuisse; propterea primis illis diebus, quibus Car^{lis} renunciatus sum, de hac ipsa re ad eandem Amplitudinem Vram litteras dedi. Sed quam laetitiae materiam aliis omnibus vel amicis vel dominis meis futuram credidi, et nunc ex eorum litteris fuisse video; mihi tristitiae causam non vulgaris fuisse Dominatio Vra Ill^{ma} facile, si me bene novit, sibi persuadere poterit. Meminit Amplitudo Vra quoniam ego refugere solerem domos nobilium; quam libenter in cubiculo meo clausus, libris inhaererem: nec illud fortassis oblita est, quam frequenter in ore habuerim illud Beati Francisci sapientissimum dictum: in obedientia lucrum, in praelatione periculum; denique non ignorat me ab ineunte adolescentia per annos ferme quadraginta suave iugum religionis libentissime portasse. Quid igitur animi geram nunc, cum me videam prope ad saeculum rediisse, quando ad exitum de corpore me parare debueram, Amplitudini Vrae cogitandum relinquo. Verum enimvero, quia voluntas non nostra sed Domini facienda nobis est: imperio Dei per Vicarium ipsius, sub interminatione lethalis culpae, atque adeo

1) Folio 110.r.

2) Folio 75.r.

mortis aeternae mihi terribiliter intonanti, non potui non obedire. Itaque parui, ut debui, et nunc cum timore et tremore Apostolicae Sedi eiusque Pontifici Maximo assisto; non de meis viribus sed de solius Dei pietate confidens: ad quam pietatem conciliandam auxilia orationum servorum Dei, et consilia veteranorum in hac sacra militia, inter quos Amplitudo Vra praeipuum locum tenet, ut necessaria sic etiam parata esse non dubito. Quod superest, me Dominationis Vrae Ill^{mae} obsequiis promptissimum offero, sacrasque eius manus humiliter deosculor, et utrique nostrum a Deo precor, sic transire per bona temporalia ut non amittamus aeterna. Datum Romae kalendis Maiis A^o 1599.

Ill^{mae} et R^{mae} Dom^{uis} Vrae

humillimus Servus

Rob. Card^{lis} Bellarminus.

D^{no} C^{li} Radziwil.

I. Ostoya-Mioduszevska.